

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historia Zaringo Badensis

Schöpflin, Johann Daniel

Carolsruhae, 1765

LXXXI.

[urn:nbn:de:bsz:31-295118](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-295118)

nostre confirmationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei & Beatorum Petri & Pauli apostolorum ejus se noverit incursum.

Datum Viterbii II. Id. Decembris Pontificatus nostri Anno Quarto.



L X X I.

CHARTA BERTOLDI LAUSANENSIS EPISCOPI,
QUA ADVOCATIAM LAUSANENSIS ECCLESIAE, POST
MORTEM BERTOLDI ULTIMI ZARINGIAE DUCIS
RECEPTAM, NEMINI IN POSTERUM SE
CONCESSURUM PROMITTIT.

A N N O M C C X I X.

Ex authentico Schmidiano Bernae.

Bertoldus divina miseratione Lausanensis Episcopus. Omnibus tam futuris quam presentibus rei geste memoriam. Pastorum cura diligens ab ovili debet lupos arcere, & ex malis preteritis futura inferum vigilantius precavere. Eapropter dignum duximus apicibus annotari, quod cum *Bertoldus Zaringie Dux* advocatiam Lausanensem longo tempore tenuisset, quam contra voluntatem predecessorum nostrorum sibi per emptionem indebitam usurpaverat; que advocatia cum hominum ligium deberet Episcopo, memoratus Dux nec hominum nec aliud inde servitium ecclesie fecisset, sed de bono mali causam assumens, in

possessiones ecclesie rapinas, incendia, homicidia, lesiones, membrorum mutilaciones, non solum in laicis, sed in clericis & sacerdotibus exerceret, eodem duce mortuo, nec malicie sue meritis filium vel filiam relinquente, dicta advocacia etiam ad manum nostram secundum jus libere devoluta; Nos igitur timentes, ne si dictam advocaciam infeodarem alicui, exemplum perpetrare per eam malicie imposterum diriveretur, consilio fratrum & hominum nostrorum eandem advocaciam in manu nostra retinuimus & Altari beate Marie obtulimus, in manu sacerdotis canonici juramento confirmantes, nullo alienacionis modo eam a nobis de cetero dimittendam, nisi per equitatem inevitabilis iudici hoc facere cogeremur: & tunc consilio Capituli nostri pre cunctis aliis uteremur. Interfuerunt huic facto Cono Prepositus, Willielmus thresaurarius, Rodulfus Cantor, Willielmus Prior S. Marii, Galterus sacrista, Petrus Chey, Joseph, Gioldus Carbo, Nicholaus de Hyens. Nicholaus de Willens, Magister Halanus, Magister Adoycus, Uldricus de Vanel, Gioldus Dapifer, Willielmus de Grancon, Petrus de Vileta, Cono de Vonz, Jacobus de Grallie, Petrus de Fruenci, Raymundus de Roven, Amedeus, Johannes de Cofsonaj, Canonici Lausanenses, Hyeblo de Escublens, Nicholaus Dapifer, Umbertus Villicus, Petrus de Laufana, Willielmus Bever, Milites. Actum in vestibulo Lausanensi, Anno incarnationis Domini MCCXIX. XI. Kal. Februarii, sigillo nostro pro firmitatis robore confirmatum. Datum per manum Roderici Cantoris & Cancellarii nostri.
